DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XII. FEBRVARII, M. SEBASTIANO RAINSSANT, Doctore Medico, moderatore.

709.

An oculi ſunt animi, vt corporis indices?

ANIMA, mortalis forma corporis, incorporea licet & immortalis, ita cum ipſo ſanguinis & ſpiritus triplicis vinculo coaleſcit, vt in eo ſine his immorari vlteriùs non poſſit, nedum operari. Hinc dum ſibi mutuò conſentiunt, plurimarum ad inuicem cauſæ ſunt affectionum. Corpus heſternis onuſtum vitiis affigit humi diuinæ particulam auræ: ab exuperanti in corpore ſucco quiſque ſuos in anima patimur manes: febrilis æſtus mentem & appetendi facultatem tranſuerſas agit, neque ſuis ſinit contineri terminis: adeò à corporis affectibus anima tumultuario rapitur impetu. Ex aduerſo quantæ turbæ ab anima ſuſcitentur in corpore, facilè intelligas, cum iſtud reciprocis ab appetitu concupiſcente iactatum & iraſcente fluctibus obſeruaris; quorum tempeſtatibus adeò interdùm frangitur, vt derepentè vitâ priuetur & animâ: nimia denique mentis contentio & longior vigilia ipſum tandem labefactant atque conficiunt.

Iσχοντα, ἐισχόμενα, ϗ ὁρμῶντα σώματα, totidem corporis partes, functionibus vitæ cuiuſlibet obeundis deſtinatæ, materiâ conſtant & propriâ temperie. Primarum qualitatum in viuente corpore συμμετρίαι humores ſequuntur & ſpiritus: ex horum multiformi varietate, ac velut oceano, infinita propemodum emergit morum & ingeniorum diuerſitas. Quot ſenſibus noſtris offeruntur illorum indicia, tot inſignes horum notæ cateruatim emicant: neque ſolùm è cutis, vnguium, pilorum, linguæ, facieíque imprimis eruuntur coloribus; ſed ex habitu quoque, conſiſtentiâ, motu, figurâ, quantitate totius & partium vnà deteguntur. Cordi & arteriis manum admoue, animam contrectabis: nec ſenſu magis, harum partium motus; quàm animi affectus, ratione depromes. Natura hominem manu donauit ſapientiæ causâ; ex cuius explicatæ ſciſſuris implicitas alioquin humorum & morum, vitæ longioris & breuioris, temperamenti & ingenij notas ingenioſiùs explicari putes.

CORPVS humanum ex innumeris conflatum partibus, vnum fit, animæ informantis vnitate, partium diſſimilium continuitate, & ſingularum conſenſu mirabili, ξύρροια μία, ξύμπνοια μία, ξυμπαθέα πάντα. Principium magnum ad extremas vſque partes per enit, ab his viciſſim ad idem peruenitur principium. Id manifeſtè quidem elucet circa faciem, frontem, totum caput, & ſi quæ ſint aliæ partes, in quibus ſapientiæ plurimus decor affulgeat; at circa oculum euidentiſſimè, qui vt nulli corporis externæ parti (an etiam internæ?) eſt inferior, ita omnibus ac ſingulis in aperiendis opertis animi motibus, ſuperior. Exactè mundum vtrumque maiorem & minorem æmulatur: vnus eſt qui cœlos vndique exprimat, ſubſtantiâ, raritate, perſpicuitate, lumine, colore, figurâ, numero, motu, actione, ſitu: immò vt ſol in cœlis cæteros planetas, ita oculus in capite reliquos ſenſus dignitate antecellit. Huius gratiâ caput conditum & in ſupremâ corporis parte collocatum, tum vt ſuam ſpectet originem, tum vt ſubditum corpus regat, atque hinc & inde imminentia, & bona, quæ proſequatur; & mala, quæ declinet, longè latéque proſpiciat.

HVMORES & ſpiritus, vt ſanitatis & morbi, ſic & actionum omnium parentes, intra corpus in ſuis ergaſtulis latent, patent in oculis; non ſecùs ac in ſpeculo aut mundiſſimâ veſte quæuis macula. Hi à ſanguine dominante rubent, pallent à pituitâ, flauent à bile, nigricant ab humore melancholico. Iidem fœcunditatis & ſterilitatis teſtes locupletiſſimi, nimium ſimul arguunt veneris vſum. Quem fœtum muliebres loculi tegunt, oculi detegunt; & quis ſit futurus, longè antequam prodeat, ipſi non obſcurè produnt. Vnà cum corpore & valent & dolent, non præſentium duntaxat affectuum interpretes, ſed & futurorum præſagi. Eorum ferocitas cerebro delirium, peruerſio conuulſionem futuram, aut reſolutionem portendit. Syncope, præceps virium, primò cordis, atque inſimul reliquarum partium lapſus, præſentitur oculorum languore: in morbis ſalutem & mortem prænuntiant. Ignis ille natiuus in corde, tanquam in foco deliteſcens, non priùs marceſcit aut extinguitur, quàm ipſius in oculis ſplendori tenebræ offundantur. Vltimi omnium oriuntur, moriuntur primi, ὥσπερ τῆς φύσεως διαυλοδρομούσης καὶ ἀνελιττομένης ἐπὶ τὴν ἀρχὴν, ὅθεν ἦλθεν.

OCVLI vt corpus, corpus vt anima, ſe habet. Iſtorum eadem eſt ac ſpeculi natura; ſiquidem anima quemuis alium ita videt in oculis, vt ab eodem viciſſim in iiſdem videatur. In cogitatione & curâ ſtant immoti, quaſi cum mente ſimul attenti. Quibus feruet ſanguis, ij ad iram proni ſunt: horum ſi faciem intuearis & oculos, intenſo rubore ſuffundi percipies, exæſtuante ab imis præcordiis ſanguine. Timidis contrà, eodem ad interiora repreſſo, oculi cum facie pallore fœdantur, & quaſi ex impendente malo tremerent, continuò nictant. Pudore ἀντιβλέπειν οὐ δύναται. Delectatione cor dilatatur, ſanguis & ſpiritus quoquouerſum in amplexum boni tam ſuauiter effunditur, vt tota facies & oculi iucundâ venuſtate decorentur; quâ non modò carent triſtes, ſed accedente nouâ turpitudine, conſtrictis vnà cum corde cæteris partibus, σκυθρωποὶ iure nominantur. Quid plura? nunquid elatum in oculis animum cernimus & demiſſum, miſericordem & inuidum. Ex iis amoris vibrantur faces, quos ideò deoſculamur lubentiùs, quòd ipſum animum propiùs attigiſſe videamur.

Igitur oculi ſunt animi, vt corporis indices.

354

Proponebat Lutetiæ PETRVS MORIAV Pariſinus. A. R. S. H. M. DC. XLIII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Gilbertus Puylon.
M. Victor Pallu.
M. Georgius Ioudouin.

M. Hugo Chaſles.
M. Nicolaus Heliot.
M. Ioannes Vacherot.

M. Claudius Lienard.
M. Renatus Moreau, Profeſſor Regius.
M. Dionyſius Allain.